

que & benivolentiam inter ipsos esse constitutam ; non illam quidem , ut cuiquam nocerent , sed suarum utriusque rerum & regnum tuendorum causa . Patres auri libra in sumptum mensibus singulis legato regio a quæstoribus dari iussa , Nihil se fecisse reliqui dixerunt orando , pollicendo , uti Julianum placarent : descendisse enim etiam ad illud , tametsi Alexander Faventiam , & reliqua oppida Cæsari libera immunitaque dederit ; velle tamen se stipendiarios Romanæ reipublicæ fieri , Faventia Ariminique nomine : legem ipse stipendiorum diceret , nihil se recusaturos , auroque Veneto recenter signato annis omnibus ea libenter persoluturos : neque quidquam tamen profecisse . cæterum latari se , duorum tantorum regum animos ab odio exercendo ad pacem & benivolentiam esse conversos . verum , propterea quod in fœdere , quod reipublicæ cum Aloisio intercedebat , caput unum erat ejusmodi , neutri sine alterius voluntate fœdus ullum cum rege ullo facere licere , scire Patres cupere , cur de eo rex nihil antea Senatui significavisset . Ad ea legatus cum aliquandiu siluissest , tandem se scire nihil respondit , nisi unum , ei fœderi tempus quatuor mensum esse præstitutum , quos uterque velit , sibi socios & fœderatos nominandi : itaque posse adhuc quidem regem ei fœderi inserere rempublicam . Qui legati tamen sermo Patrum animos , quibus quidem ea pax Senatu non appellato confecta , suspicionem haud parvam afferebat , nihil leniit .

Post hæc Decemviri certiores facti servi indicio , qui ab eo vapulaverat , Hieronymum Tronum (qui bello Thracio Naupacti arcem , quam reipublicæ nomine custodiebat , hostibus tradiderat , eamque ob rem exul aliquot annos fuerat) id quod fecerat de tradenda arce , pretio accepto fecisse : Tronum ab exilio domum redeuntem in vincula conjecerunt , pauloque post quæstione habita , e superiore curiæ porticu , quæ in foro est , inter rubri lapi- dis columnas reste suspenso carnifex gulam fregit . Atque ultimis fere anni diebus Joannes Pisaurum obtinens Matthæi Teupoli filiam duxit uxorem , nuptiis in urbe per legatos institutis . Tum literæ ex Hispania ad Senatum ve-

H. Bembi.

Q

ne-